SCRIPTUM
SUPER APOCALYPSIM CUM
IMAGINIBUS

CODEX SAEC. XIV. ARTE PHOTOTYPICA

EDITUS.

ARTE PHOTOTYPICA EXPRESSIT HENRICUS ECKERT

115.

MUSEJNÍ KNIHOVNA
JIHLAVA

722

ČK 2456/90

SCRIPTUM

SUPER APOCALYPSIM

CUM IMAGINIBUS

(WENCESLAI DOCTORIS).

Codex Bibliothecae Capituli Semper Fidelis Metropolitani

Pragensis

IN SOLEMNEM MEMORIAM ANNI JUBILAEI

AB ERECTO EPISCOPATU PRAGENSI NONGENTESIMI

EDITUS

A S. F. CAPITULO METROPOLITANO

MERCES RESTAURANDAE ECCLESIAE METROPOLITANAE DICATA.

Barnabas Wais

PRAGAE 1873.

ARTE PHOTOTYPICA EXPRESSIT HENRICUS ECKERT.

PROCURATIO LIBRARIA COMMISSA EST BIBLIOPOLAE C. R. UNIVERSITATIS PRAGENSIS J. G. CALVE (O. BEYER).

003 (UKF)

1517330

54 D 206121

NÁRODNÍ KNIHOVNA

1004040491

1004040491

NÁRODNÍ KNIHOVNA ČESKÉ REPUBLIKY
UKF
6

JAR
19/UK 4039

Proëmium.

Inter manuscriptos codices antiquissimae bibliothecae Capituli Metropolitani Pragensis exstat „Scriptum super Apocalypsim cum imaginibus", olim **Wenceslai Dortum** nomine appellatum, quod praetiosissimis ejusdem thesauris accensent eruditi omnes. Admirantur enim numerosas in eo **delineationes** ad illustrandam Apocalypseos interpretationem compositas et summa solertia exaratas, quae sui temporis vestium tam sacrarum quam saecularium, aedium, armorum aliarumque rerum formam exactam exhibent, et auctoris tum artem tum eruditionem mirifice commendant. Quod autem ex peritorum judicio peculiare pretium eis addit, nexus est et ut ita dicam cognatio ipsarum cum aliis antiquissimis, quibus patria nostra gaudet, picturis linearibus, imo momentum etiam, quod in efflorescentem paternam artem nostram habuisse existimantur.

Verum etiam **textum codicis nostri** vix spernendum esse censemus. Est enim commentarius in Apocalypsim theologicis lectoribus haud ingratus, historicis autem acceptissimus. Namque auctor noster expositionibus suis decursum historiae ecclesiasticae et profanae inserit ita, ut in gestis singulis visiones Apostoli impletas esse demonstret.

Quaeritur primum de **tempore**, quo codex noster originem habuerit, qua in re textum ipsum et librum nostrum distinguimus.

Illum si lustramus, varia nobis occurrunt originis indicia. Auctor (cap. XIX.) tres ordines equestres, Joannitarum, Teutonicorum et Templariorum recenset, inter

quos Templarios necdum ulla suspicione et persecutione agitatos. Haec itaque post annum MCXCI., quo ordo inter tres illos novissimus Teutonicorum confirmatus est, et ante annum MCCCXI., quo Templarii acerbo judicio suppressi sunt, scripta esse nemo negabit. Verum etiam de S. Francisco et S. Dominico eorumque fratribus non rarae inveniuntur laudes (imprimis cap. XXI.) ita, ut jam elapsis annis MCCIX. et MCCXVI., quibus fratrum minorum et praedicatorum ordines initium habuere, nostrum commentarium literis datum esse ne ullum quidem dubium remaneat. Altera autem ex parte inter „imperatores“, quorum gesta recensentur, ultimus nominatur Fridericus hujus nominis secundus (cap. XXI.), qui terram sanctam ex Saracenorum potestate liberavit (MCCXXIX.), nuper autem sanctam Romanam Ecclesiam oppugnare coepit. Cujus quum neque e vita decessus, qui in annum MCCL incidit, neque regni privatio anno MCCXLV declarata commemoretur, haud dubie commentarius noster ante hos annos fuit exaratus.

Dum igitur ex allatis notitiis patescit, textum non ante annum MCCVI. et non post annum MCCXLV. esse conscriptum, jam directum accedit testimonium. Legimus enim pag. 246. ad finem: „Anno Domini MCCXLIV., quando cessavit episcopatus, haec scripta, antequam eligeretur Dominus Innocentius Papa Quartus, qui modo sedet, quamvis ante pene totus liber fuisset consummatus.“ *)

Quod auctorem commentarii attinet, praeprimis animadvertendum erit, ipsum jam capite primo (pag. 5.) et postea pluribus locis semet „homini laico nullius sacri ordinis nullaque liberali arte instructo“ opponere. Fuit ergo frater quidam regularis. Recurrimus etiam ad verba, quae in prima libri introductione (pag. 3.) leguntur: „Quodam vero die dominico, cum nos prout potuimus praeparassemus ad communionem, quaedam nobis apparuerunt obscure; cum autem circa haec noster fluctuaret intellectus, factum est tertia die, cum Corpore Domini Nostri Jesu Christi communicaremus, sine quo Agno in coelo neque in terra neque sub terra quisquam librum aperire valebit, ut ipse nos in tantum instrueret, quod eodem die partem libri maximam intelligeremus impletam secundum ordinem historiarum, aliaque postea nos docuit.“ Nonne ex his suspicari licebit, scriptorem

*) Innocentius IV electus est die 25. Juni 1243. Num in hoc lapsus calami describentis?

non ad Missae sacrificium sed ad frequentem (omni tertia die) communionem se praeparantem fuisse fratrem majoribus ordinibus carentem, eum autem adeo solertem in studiis sacris, ut diu noctuque fere aliud nihil mente volveret, et adeo pium, ut omnis sapientiae fontem in solo Deo quaereret? Si dein ad finem libri (cap. XXII.) transeamus, auctor iste laudibus sanctorum patrum Dominici et Francisci abundat, ita tamen, ut praecipuus sancti Francisci et fratrum minorum amor ex omnibus eluceat. Quibus pensatis vix errabimus, si ipsum inter Fratres minores sancti Francisci quaeramus. Idem denique in fine codicis nostri me cognovisse puto. Exstat ibidem sat ampla antiquissimi atramenti macula, sub qua scriptum aliquid latere videtur. Nescio quis olim maculam hanc eradere conatus sit ita, ut cum ea scriptum quoque hinc inde deleretur; nuper vero mediis chemicis applicatis ad momentum haec legi: „Explicit Scriptum super Apocalypsim . . . . . latii fratris minoris.“

Quod attinet ad **locum**, quo liber noster primum exaratus sit, non rara in textu ipso indicia patent.

Primum est, quod auctor de fonte historiarum suarum profitetur. Legimus enim pag. 13.: „Historiae, in quibus haec primitus didicimus, in idioma teutonicum translatae fuerunt, quae modo latinis conscriptae sunt verbis.“ En isthic vestigium antiquissimi operis germanici. En auctorem in lingua ista optime versatum. Si dein ad historias ipsas, quae enarrantur, animum advertimus, per ordinem nobis praeter Imperatores et Pontifices Romanos producuntur reges „Alaricus“, „Jesericus“, „Hodoacharus“, — reges Gothorum, reges Francorum, Pipinus praeprimis et Carolus, in quos plurimum laudis impenditur (pag. 168—182), imperatores demum gentis Germanorum ab **Ottone primo** usque ad **Fridericum secundum** (cap. XVI.—XXII.). In his vero omnes quae Henricum IV. inter et Gregorium VII., et postea inter Fridericum I. et Alexandrum III., et tandem inter Fridericum II. et Gregorium IX. controversiae agebantur, latius et diffusius exponuntur (cap. XIX.—XXII.). In iis etiam aevi illius expeditiones cruciatorum dissertissimis explanantur verbis. (Cap. XVIII.—XIX.) Si auctorem nostrum in enarrandis Germanorum gestis copiosiorem videmus, num fortuito ipsi accidit, ut fere nihil de Franco-Gallis et Italis sui temporis referat? Quid autem, si capite XX.

*

(pag. 241.), ubi de secunda cruciatorum expeditione sermonem facit, Conradum (III.) regem commemorat atque paenes eum „et regem Franciae“, ita ut in illo regem quasi suum cernat et in altero peregrinum? Quid porro, si apostolorum gentium fere nemo uberioribus verbis nominatur praeter Sanctum Bonifacium apostolum Germanorum? (Pag. 162, conf. 127.) Attendamus tandem in nominibus allatis scribendi rationem. Jesericus ille et Hodoacharus, Hermenhildus, Hildericus, Adalgisus cum „Karolo“, Widekindo, Godeschalco, Godefredo, Baldewino — quem alium nobis contestantur, nisi auctorem libri germanum? Quis denique fonte etiam germano commodius uti potuit, nisi ipse germanus?

Haec de **textu originali. Verum codex noster ipsius auctoris manu conscriptus non est.** Hoc jam menda hinc illinc occurrentia indicant, quae non tam ex calami temeritate quam legentis errore prodiisse videntur. Sic legimus pag. 3. biscentum 44 (244) pro bis centum 44 (288), pag. 5. dicentes pro discentes, pag. 8. dicens pro dicentis, pag. 34. setis pro sedis, pag. 167. Carnomannus pro Carlomannus, pag. 169. Philippus pro Pipinus — et plura similia. Pag. 166. 194. 196. 204. 223. singula verba fors difficilius legenda vacuis spatiis indicantur. Ad haec etiam pertinere mihi videtur lapsus ille pag. 246, ubi loco anni MCCXLIII ponitur annus MCCXLIV. Praeterea autem manum codicis nostri saeculo non decimo tertio sed decimo quarto adscribendam esse gnarus palaeographorum nemo infitiabitur. Quum itaque textus originalis absque dubio jam anno MCCXLIV. (rectius MCCXLIII.) exaratus fuerit, liber noster nil nisi exemplar transscriptum (copia) esse potest, — **sed additis imaginibus.** Frustra enim in ipso textu aliquam imaginum indicationem quaeres, verum etiam in his, quae exstant, imaginibus cum peritissimis arte vix solas imitationes suspicaberis. Quid ergo probabilius, quam **descriptorem textus insimul fuisse imaginum artificem atque librum nostrum non quoad textum quidem, sed quoad delineationes esse opus originale.** Imo non adversor autumanti, id in causa fuisse, quod fors descriptor ipse in fine libri clausulam illam deleverit, ne sibi aut alteri soli vindicare censeretur, quod omni jure debebatur utrique.

Quae autem exemplaris nostri et delineationum ejus patria?

His ut respondeam, de integumento codicis nostri vetustissimo, cui anno MDCCCLII. novum suffectum est, quaedam commemorare liceat. Illud ex multis aliquando schedis cartaceis conglutinatum et involucro membraneo obductum — nunc dissolutum novum nobis thesaurum historicum reddidit. Ex involucro ceteroquin certe vacuo solum quidem segmentum superest novo nunc integumento agglutinatum, in quo pristinus codicis titulus „Scriptum super apocalypsim cum imaginibus" et serius adjecta verba „Wenceslai doctoris" leguntur. In schedis autem illis XXIII epistolas originales variorum, inter quos ipse Leo rex Armeniae eminet, invenimus omnes ad Cardinalem Lucam Fieschi (alias de Flisco) inscriptas. Accedunt his aliae quinque absque omni fere dubio ad eundem Cardinalem directae, in quibus nunc nomen accipientis desideratur, — et aliae denique duae, quae fors appellationis via in manus ejusdem pervenerunt. Exstant praeterea quinque fragmenta actorum judicialium, quorum tria nominatim in **curia Avenionensi**, reliqua testantibus argumentis internis certe ne alibi usquam gerebantur. Adsunt insuper duo fragmenta actorum confirmationum, quorum alterum expresse, alterum verosimillime in eadem curia apostolica tractabantur. Adsunt tandem consignatio quaedam expensorum domesticorum, notulae proventuum, et actus notarii de debito comitis Bariensis, — omnes aetatis ejusdem cum epistolis citatis. In omnibus fere documentis istis exceptis duobus dies quidem exhibitionis nominatur, annus autem deest.

Quis Lucas ille Fieschi fuerit, aliunde satis nobis constat. E nobili Genuensium familia natus, Hadriani V. Papae nepos, a Bonifacio VIII., qui ab anno MCCXCIV usque ad annum MCCCIII ecclesiam rexit, Cardinalis-Diaconus tituli S. Mariae in via lata renuntiatus est. Pontifici suo per nobiles Columnienses Anagniae capto fidelis comes adstitit eumque populo ad arma vocato liberavit. (MCCCIII.) Clementem V. Papam anno MCCCVIII. in exilium Avenionense comitatus multis abhinc iisque gravissimis negotiis publicis adhibitus est. Anno MCCCX (cum aliis quatuor Cardinalibus — Nicolao Ostiensi, Arnoldo Sabino, Bernardo Albanensi episcopis et Francisco de S. Maria in Cosmedia presbytero) ad Imperatorem Henricum VII. tunc in Italiam profectum et Genuae commorantem abiit ibique a latere ipsius remansit. Italis ex genere suo magisque ex gestis olim Anagniensibus carus

multum ad reconciliandas Imperatori civitates allaboravit. Anno demum MCCCXII in Urbe Romana coronam accipienti adstitit. Ex eo tempore nonnullae earum, quarum mentionem fecimus, epistolarum prodiisse videntur. Peracta Henrici coronatione Avenionem rediit paulumque invalescentibus tunc Cardinalibus ex Gallia oriundis a negotiis publicis quievit. Illis etiam annis quasdam ex literis nostris eum recepisse arbitramur. Sub Joanne Papa XXII., qui annis MCCCXVI usque MCCCXXXIV rexit, ad novas legationes adhibitus in Anglia primum et Gallia inter reges bellis decertantes pacem et amicitiam restituit. (MCCCXVII.) Mox atrox etiam belli incendium Anglos inter et Scotos exortum extinxit. (MCCCXVIII.) Inimicitiis etiam Helvetios inter et dominos Sabaudiae et Delphinatus flagrantibus pia servitia adhibuit. Iterum in Italiam reversus dissidia inter Apuliae (Neapoleos) et Trinacriae (Siciliae) reges componere studuit. Quum dein Imperator Ludovicus (Bavarus) annis MCCCXXVII usque MCCCXXIX Italiae regiones imperio suo revindicare conaretur atque in negotio hoc usque ad constitutionem antipapae (Martini) procederet, **Lucas** noster senio jam pressus frequenti saltem commercio literarum, quae magnam ad partem in reliquiis nostris supersunt, cum rebus Italicis communicavit. Anno tandem MCCCXXXVI die ultima Januarii Avenione vitae suae cursum consummavit. Sepultus est primum in ecclesia Fratrum minorum in ipsa civitate Avenionensi, unde corpus postea a cognatis in urbem Genuensem translatum ad hunc usque diem in templo S. Laurentii requiescit.

Hisce pensatis quis contradicat, codicem nostrum non in Bohemia, non in Germania, neque ullo alio loco quam Avenione colligatum fuisse, quum nullibi nisi Avenione omnes integumenti partes conquiri potuerint? Illae ex diversis annis et dissitissimis regionibus directae ad Cardinalem Lucam literae, ubinam colligebantur, nisi in ipso pulpito Cardinalis? ubinam collectae cum illis aliis actis Avenionensibus conjungebantur nisi in ipsa civitate Avenionensi?

Quum vero nec ulla alia isti integumento accesserit schedula postremo Cardinalis anno posterior, conjicere etiam licebit, codicem nostrum brevissimo post annum obitus (MCCCXXXVI) tempore colligatum fuisse, ita ut sic novum atque directum et loci et temporis, quibus codex noster conscriptus fuerit, accrescat testimonium.

Habemus ergo, ni fallimur, textum saeculi XIII. ex Germania, transscriptum autem cum delineationibus originalibus primi dimidii saeculi XIV. ex Gallia meridionali.

Quo autem modo codex hic in Bohemiam et in bibliothecam capituli metropolitani pervenit ibique nomen Wenceslai Dortum nactus est?

Prima mihi opinio subvenit, regem et imperatorem nostrum Carolum IV. cum aliis cimeliis etiam librum istum Avenione, ubi anno MCCCXL in negotio erigendi archiepiscopatus Pragensis versabatur, in patriam nostram attulisse atque ecclesiae neo-metropolitanae ab ipso fundatae donavisse. Primum negare non audeo, alterum autem demonstrare non possum. Antiquissima enim ecclesiae nostrae inventaria ad ipsius Caroli dies redeuntia varios quidem libros et in ipsis etiam dona regia, quinimo duo etiam manuscripta apocalypseos enumerant, nostrum vero codicem „cum imaginibus“ non recensent. Mox autem ad ipsum codicem refugienti alia quaedam indicia occurrerunt. Juxta textum enim glossae non paucae adparent juniori quadam manu saeculi XV. adscriptae, quae omnes fere ad ipsam textus interpretationem spectant. Inter istas autem pag. 81., ubi de persecutione ecclesiae catholicae ab Arianis parata sermo fit, appositum est: „prout his temporibus in Bohemia“. Sic etiam pag. 82., ubi de Gothis Arianis agitur, ad vocem Gothorum adjicitur „et Husitarum“. Pariter pag. 215. in margine ponuntur „Husitae“.

Habemus ergo glossatorem saeculi XV., qui tempore Husitarum, qui in Bohemia, et qui illis ibi diebus vixit, quo Catholicis persecutiones ab Husitis parabantur. Ne ullum ergo dubium, glossas istas aut ex ipso bellorum husiticorum tempore (MCCCCXX—MCCCCXXXVII), — aut ex annis turbulentis, qui regimen Georgii regis anteibant (MCCCCXXXIX—MCCCCLVIII), — aut ex seriori ipsisque Catholicis infestiori hujusce regis imperio (MCCCCLXII—MCCCCLXXI) originem duxisse. Primum difficile creditur, quum eo tempore nec studiis nec viris catholicis in Bohemia locus esset. Alterum et tertium vero similius, ita tamen, ut ratione scripturae habita magis in alterum inclinemus. Imo jam eadem nobis manus esse videtur, quae nobis in actis Wenceslai de Krumlow, doctoris decretorum, decani capituli nostri et annis MCCCCLIV—MCCCCLX archiepiscopatus Pragensis administratoris iterum iterumque recurrit. Hunc vero Wenceslaum a patria de Krumlow dictum a juventute sua et

postmodum cum commisso sibi grege catholico multa ab Husitis passum esse scimus. Hunc etiam die XIII. Decembris MCCCCLX violentis inimicorum suorum insidiis occubuisse acta nostra capitularia demonstrant. Hunc tandem libros suos bibliothecae Capituli reliquisse notissimum est. Accedit vero etiam **testimonium tituli**, qui in involucro nostri codicis ex antiquiore tegumento transsumtus patet: „**Scriptum super Apocalypsim cum imaginibus**“ — et juniori manu additum — „**Wenceslai doctoris**“, — „Wenceslai doctoris“, non „Wenceslai Dortum“, quod nonnulli per errorem legerunt. Non auctorem ibi legimus sed possessorem, neque etiam translatorem sed donatorem, cujus nomen grata illorum dierum manus libro donato inscripsit.

Librum vero nostrum jam a Caroli temporibus in Bohemia adfuisse impugnare non audemus, quum praeter metropolitanam aliis etiam ecclesiis et monasteriis libros pretiosos a munificentissimo rege donatos esse sciamus. Non ergo omnino negandum est, **Wenceslaum doctorem** hunc librum jam in patria nostra aliquo modo acquirere potuisse, quod profundius ipsius in eo studium indicare videtur. Si autem non prius, saltem anno MCCCCLVIII opportunam eum acquirendi occasionem nactus est. Hoc enim anno **Wenceslaus noster limina Apostolorum visitavit** rationem de administratione archiepiscopatus Pragensis redditurus. Tacemus de facilitate codices aliquos Romae coëmendi; monendum autem prae omnibus esse censemus, ipsum a Sanctissimo Patre Pio II., amico quondam suo, multum amoris et favoris expertum esse variaque dona et privilegia in patriam retulisse. Num codex noster inter illa dona fuerit, nescimus, certissimum autem est, eum inde a morte Wenceslai (MCCCCLX) in bibliotheca capitulari pio studio asservari.

Superest ut pauca etiam de **editione** nostra dicamus. Anno labente (MDCCCLXXIII) **Ecclesia nostra Pragensis jubilaeum noni ab erecto episcopatu** (nunc archiepiscopatu) **saeculi celebrat.** Inter alia, quae capitulum nostrum metropolitanum in solemnem festi memoriam grato offert animo, **codicem hunc toties laudatum suis sumtibus luci publicae dare decrevit.** Opportune nuper inventa nobis **Phototypiae** ars obvenit, per quam delineationes summa qua voluimus fide reddi et multiplicari posse existimabantur. Quod cum photographus noster Henricus Eckert attentaret, effici etiam posse censebatur, ut integer iste liber recenti illo et inusitato modo

imprimatur adeoque manuscriptum originale toties quasi multiplicatum in lucem edatur. Et ita actum est.

Noverit autem lector benevolus, codicem nostrum in chartis rudioribus conscriptum esse, ideoque per photographiam, quae phototypiam antecedit, effigiem nobis non in singulis aeque exactam omnique desiderio superiorem reddidisse. Quod quum non alio modo, quam per deminutionem editionis emendari potuisset, nos vera et accurata codicis exempla praeferentes negligendum esse censuimus.

Si tandem sub finem introductionis (pag. 2.) de „**paragraphis rubeis et alterius coloris**“ sermo fit, „**quorum illi sensum scriptoris** (i. e. S. Joannis), **isti autem intellectum mysticum declarent**“, confitendum est, eos per phototypiam non alio quam nigro colore reddi potuisse. Hujusmodo autem „paragraphi“ non sunt nisi puncta quaedam et lineae initiis enuntiationum appositae, quas gnaro lectori nullius omnino pretii esse ideoque potius negligi posse putavimus.

Sequuntur

Regesta

ACTORUM, QUAE IN OPERCULIS CODICIS NOSTRI INVENTA SUNT.

1.	Florentiae 20. Julii a. ?	**Ad Cardinalem Lucam Fieschi**: Frater Bonaventura de S. Severino, ordinis eremitarum S. Augustini, rogat pro Lafranchina sorore sua misera subsidium. Orig. lat. cart.
2.	Papiae 3. Sept. a. ?	**Ad nobilem virum N .** : Frater Illvardus, administ. ecclesiae Papiensis, urget sub poena excommunicationis censum retentum, ab incolis Valentiae oblatum. Orig. lat. cart.
3.	Romae 15. Sept. a. ?	**Ad Cardinalem Lucam Fieschi**: Jacobus de . . . . . supplicat nomine fratris sui Silvestri pro canonicatu ecclesiae S. Mariae Viterbii aut S. Mariae in via lata vacante. Orig. lat. cart.
4.	a. ?	**Ad Cardinalem Lucam Fieschi**: N. petit collationem praebendae. Orig. lat. cart.

5.	a. ?	**Ad reverendum N.**: Consulente archiepiscopo Januense foemina petit, ne in necessitatibus suis derelinquatur. Orig. lat. cart.
6.	Soriate, districtus Pergamensis a. ?	**Ad Cardinalem Lucam de Fieschi:** N . . . de domo Rivola (?) et Henricus miles et Robertus et alii de domo Borgis (?) in causa Martini de Feraria Canonici Pergamensis. (Recommendant eum.) Orig. lat. cart.
7.	Avenione a. ?	**Papa ad abbatissam Blazileae** (?) ord. S. Bened. et ad archiepiscopum Bisuntinensem: Recommendatio Guielmi Berandi presbyteri ad beneficium ecclesiasticum. Concept. lat. cart.
8.	Florentiae a. ?	**Ad Cardinalem Lucam Fieschi:** Accorrimbonus de Tolentino, priores artium et vexillifer justitiae et consilium communitatis Florentiae gratias agunt pro promotione novi pastoris. Orig. lat. cart.
9.	Anexiati (Anecii) 6. Aprilis a. ?	**Ad Cardinalem Lucam Fieschi:** Amadeus comes Gebenensis rogat avunculum suum (Cardinalem), ut conferat ad promotionem fratris Garilii (?) de Rocheta monasterii Bellae villae Lugdunensis dioecesis. Orig. lat. cart.
10.	Asti 26. Aug. a. ?	**Ad Lucam Fieschi Cardinalem:** Mercia de Rothariis dolet, quod negotium apud Dominum suum cuidam Benedicto commissum infauste procedat. Orig. lat. cart.
11.	Saonae 19. Apr. a. ?	**Ad Cardinalem Lucam Fieschi:** Marianus de Auria dat nuntium de officialibus suis in Sardiniae partibus constitutis, qui in Jacobi archiepiscopi Turritani (Sassari) et ecclesiae ejus partibus disposuerunt. Orig. lat. cart.
12.	11. Apr. 1324.	**Fragmentum libri Confirmationum:** Confirmationes ad varias ecclesias, Deodati, la Estroa (?), Guielmi de Ponte, Gosberti, Armerici de Saonaco etc. Orig. lat. cart.
13.	3. Junii c. 1322—1329	**Ad Cardinalem Lucam Fieschi:** Leonus rex Armeniae et . . . sinus comes Curchi gubernator regni, ut eis subsidium pecuniae, quod nuper summus pontifex per archidiaconum Boniventanum destinavit pro necessitatibus regni Armeniae, praestetur, ne regnum periculis subjaceat. Orig. lat. cart.
14.	18. Oct. 1326.	**Ad Cardinalem Lucam Fieschi:** Matthaeus episcopus Beritensis (?) de infirmitate sua et adventu suo in Famagustam, mittit oleum cum granis „somac“ vocatis. Orig. lat. cart.
15.	Urbe vetere (Orvieto) 1. Sept. (1328 ?)	**Ad Cardinalem Lucam Fieschi:** Zacharias de Urbe vetere (Orvieto) commendat fratrem suum (S. archidiaconum), cum episcopus morti proximus sit. Orig. lat. cart.

16.	Octob. (?)	**Ad Cardinalem Lucam Fieschi:** Nuntiatur, comitem nepotem Cardinalis esse in tractatu cum D. Delphino de pace restituenda; — Teutonicos de Basilaea et Berna, qui castrum Pela Domini de Novocastro obsidebant, per Ludovicum de Sabaudia fugatos esse. Orig. lat. cart.
17.	30. Oct. (1328)	**Ad Cardinalem Lucam Fieschi:** Theobaldus de Brusatis, praepositus Novariensis, nuntiat, Bavarum (Ludovicum imperatorem) cum suis apud Luccam congressum habuisse, eum ad obsidionem Januae se conferre et dein Apuliam et Calabriam subjugare velle. Orig. lat. cart.
18.	Januae (Genuae) 19. Novb. (1328)	**Ad Cardinalem Lucam Fieschi:** Carolus de Flischo (Fieschi), palatinus et Lavantinus comes recommendat delatores epistolae Antonium Infantem et Joannem Salicum de Diano, qui in honorem S. Ecclesiae regis (Roberti) servitia sequi volunt. Orig. lat. cart.
19.	Januae 28. Decbr. (1328)	**Ad Cardinalem Lucam Fieschi:** Consilium 12 sapientium constitutorum pro negotiis communitatis Januensis rogat, ut ambassatores regios Aymerium de Bancio et Joanneum de Aqua blancha legis doctorem adjuvet, missos ad sedem apostolicam ad impetrandam facultatem, qua Januenses possint mercari ad terras Aegypti et Soldani. Orig. lat. cart.
20.	Decbr. (1329)	**Ad N.** (Cardinalem Lucam Fieschi?) Fragmentum epistolae de statu bellico in Italia. Orig. lat. cart.
21.	Verseyer 27. Jan. (1329)	**Ad Cardinalem Lucam Fieschi:** Aymes cliens de Savoye: avunculo suo Lucae Cardinali de Fieschi in causa dispensationis matrimonialis inter Raoul de Arveniche (?) et Margaretham filiam Joannis de Avieme. Orig. in lingua gallica cart.
22.	Januae 16. Febr. (1329)	**Ad Cardinalem Fieschi:** Leonardus Rainaldi de Janua, canonicus Bononiensis, habens commissionem ab episcopo Bononiensi nuntio apostolico nuper Januam advecto, exigendi reditus primi anni omnium beneficiorum tempore a Papa reservato in provincia Januensi vacantium; quaerit, quid facere debeat occasione vacantis praepositurae Trigaudii, et significat, quod canonici et capitulum S. Mariae de Vineis velint summo Pontifici de canonicatu ecclesiae suae supplicationem facere. Orig. lat. cart.
23.	(1329)	**Ad Cardinalem Lucam Fieschi:** Nicolaus Marchio nuntiat, dominum de la Scala civitatem Luccam occupasse, et alia de statu belli in Italia. Orig. lat. cart.

*

24.	(1329)	**Ad Cardinalem Lucam Fieschi:** Frater Placentinus nuntiat de venditione quadam. Nom. Vicecomes Mediolanensis, Janacius de Sagnucoro (?), Columbus de Maltoro, Franciscus de Placentia, — et Leonardus de Arcellis et Calvus de Calvis vicarii legati. Orig. lat. cart.
25.	Parisiis 13. Decbr. (1329)	**Ad Cardinalem Lucam Fieschi:** Archiepiscopus Viennensis nuntiat, regem Angliae ad regem Franciae et Angliae venisse, ut homagium tamquam dux Aquitaniae praestet, — et gaudet de pace restituta, quae per Aureliam, Basconiam et alibi publice proclamata est. Orig. lat. cart.
26.	(?)	**Fragmentum actorum confirmationum:** Presbyter Laurentius (rector ?) ecclesiae S. Mariae de (Decimo ?) dioeces. Ballariten. (?) constituit procuratorem ad obtinendum beneficium coram Oddone archiepiscopo. Orig. lat. cart.
27.	(?)	**Fragmentum actorum judicialium:** Mag. Ricardus recurrit ad sedem apost. contra Guielmum archiepiscopum Cassellensem, quem accusat de violenta occupatione ecclesiae. Orig. lat. cart.
28.	(?)	**Fragmentum actorum judicialium:** Controversia de jurisdictione inter Magistrum et fratres hospitalis in . . . . ex una et Petzagnem (?) militem ex altera parte. Orig. lat. cart.
29.	Cistercii tempore cap. generalis (?)	**Ad Cardinalem Lucam Fieschi:** Guielmus generalis abbas Cist., definitores et capitulum generale gratias agunt pro laboribus, quibus eos apud curiam apost. promovet, et commendant suum ordinem. Orig. lat. cart.
30.	(?)	**Ad Cardinalem** (Lucam Fieschi ?): ut evocet praepositum et canonicos ad petendum a Papa pallium pro archiepiscopo Strygoniensi. Orig. lat. cart.
31.	(?)	**Ad N.** (Cardinalem Lucam Fieschi ?) Petitio, ut abbatem monasterii S. Andreae Avenionensis civitatis compellat, Bermundum Andigerii, priorem ecclesiae de Barreto, monachum suum adigere, qui hospitium Mariae uxoris Joannis de Matiscone in civitate Avenionensi prope ecclesiam S. Laurentii dimittat, nec amplius occupet. Orig. lat. cart.
32.	(?)	**Actus notarii publici** Guidonis de Leona de debito 2000 fl. pro comite Bariensi (?) contracto per Jacobum Bencini. Orig. lat. cart.
33.	(?)	**Computus expensarum** domesticarum (Cardinalis Lucae Fieschi ?) Orig. lat. cart.

34.	(?)	**Ad reverendum Patrem** (Lucam Fieschi ?): N. de S. Desiderio ad requisitionem Manuelis de Placentia et Palmerii de Mamponeto petit, ut Joanni clerico XX librae de expensis contra abbatem monasterii S. Petri supra Dinam (?) in curia factis restituantur. Orig. lat. cart.
35.	(?)	**Fragmenta indicis quorumdam redituum.** Conc. ling. gall.
36.	(?)	**Ad Cardinalem Lucam Fieschi:** Philippus de Arborio ord. praedic. conventus Vercellensis petit, ut ipsi conferatur abbatia monasterii S. Andreae Vercellensis vacans per mortem abbatis Francisci. Orig. lat. cart.
37.	Avenione die 27. Junii (?)	**Fragmentum actorum judicialium:** Alamanna, relicta Fardelli Gandu(lphi) de Pistorio civis Avenionensis, haeres universalis dicti Fardelli Gandu(lphi) de Pistorio in causa haereditaria ante Curiam Avenionensem constituit procuratorem. Orig. lat. cart.
38.	(?)	**Ad Cardinalem Lucam Fieschi:** Hugo de Triano et Maria de Triviano (?) preces speciales Domino Papae porrexerunt pro nepote suo Pisone electo (episcopo) Thelesino, ut transferatur ad episcopatum Melfiensem vacantem in curia. Petunt suffragium. Orig. lat. cart.
39.	Avenione (?)	**Fragmentum actorum judicialium** in curia apostl.: Causa Guielmi de Cassiano cum M. Arnoldo de Cammoribus. Orig. lat. cart.
40.	(?)	**Fragmentum actorum judicialium:** De vulneratione cujusdam canonici per Henricium Gadulaum. Orig. lat. cart. mutilatum.

Hae literae et fragmenta in archivo Capituli metropolitani Pragensis asservantur.

PRAGAE, die 13. Junii MDCCCLXXIII.

ANTONIUS FRIND,
CAPITULI SEMPER FIDELIS METROPOLITANI PRAGENSIS CANONICUS,
AD MANDATUM CAPITULI
EDITIONIS HUJUS REDACTOR.

INDEX

SCRIPTI SUPER APOCALYPSIM,

qui in ipso textu pag. 1. et 2. legitur.

Incipiunt capitula.

Capitulum 1. De beatitudine observantium librum et de adventu judicis . . . . . Pag. 5.

Capitulum 2. De angelo et episcopo Ephesi ecclesiae et de Polycarpo Smyrnaeorum episcopo . . . . . Pag. 12.

Capitulum 3. De Sardensi episcopo . . . . . Pag. 22.

Capitulum 4. De concordia regni David et de regno Jesu Christi filii ejus secundum carnem . . . . . Pag. 29.

Capitulum 5. De quatuor scriptoribus David et quatuor scriptoribus Jesu Christi filii ejus designatis per animalia . . . . . Pag. 41.

Capitulum 6. De Agno i. e. corpore Christi, qui aperit librum istum, et de Spiritu Sancto, qui procedit ab ipso filio Dei in modum oculorum et cornuum; in evangelio namque dicit eum Johannes procedere a Patre. Quomodo ille, qui sedet in equo albo, exierit vincens eos, qui Dominum persecuti fuerant, et quomodo Nero interfecerit Petrum et Paulum — et de persecutione Domitiani, quando (rocte quomodo) ista vidit Johannes, et de innumeris martyribus . . . . . Pag. 52.

Capitulum 7. De Constantino, qui habuit signum Dei vivi et pacem fecit ecclesiae, ut possent fideles servire Deo die ac nocte in templo ejus . . . . . Pag. 68.

Capitulum 8. De angelo Domini exercituum, qui dedit de orationibus omnium sanctorum super altare, hoc est, quod psalmi, qui sunt de orationibus omnium sanctorum, dicerentur in universis ecclesiis et quasi incensum ascenderent ante Deum. De multis haereticis, qui impugnant ecclesiam, quali eos specie viderit Johannes . . . . . Pag. 77.

Capitulum 9. Quomodo angelus exterminans nomine exterminaverit 300 episcopos et quomodo illi, qui adoraverunt daemonia et simulacra, modo conversi ad Dominum orant communiter pro omnibus fidelibus . . . . . Pag. 89.

Capitulum 10. Qualiter signata sit vox tonitruorum usque ad dies septimi angeli et de dulcedine libri Justiniani . . . . . Pag. 102.

Capitulum 11. De mensura altaris et templi et adorantium in eo habemus celebritates dedicationum ecclesiarum, et quomodo ignis exiens de ore duorum testium multitudinem haereticorum interfecerit . . . . . Pag. 109.
Capitulum 12. De templi apertione purificationis Sae. Mariae, et quis dictus sit Michael, et de auxilio Si. Michaelis archangeli . . . . . Pag. 126.
Capitulum 13. De plaga gladii bestiae, et de exaltatione Sae. Crucis Pag. 137.
Capitulum 14. De Machometo bestia, qui dixit se interpretari vetus et novum testamentum, propterea Sarraceni recipiunt multos libros nostros, — et de falsis signis, quae ei adscribuntur. De monte Sion et virginibus et de regularibus Si. Augustini et de ordine Si. Benedicti, et quomodo regnum Francorum auro sapientiae sit coronatum . . . . . Pag. 160.
Capitulum 15. De angelis fundentibus phialas et quomodo Dominus vindicet sanguinem Sanctorum . . . . . Pag. 173.
Capitulum 16. De regibus congregatis in proelium. De beatitudine illorum, qui custodiunt vestimenta sua et de vocibus eorum, qui primo crucem praedicaverunt contra infideles. Pag. 180.
Capitulum 17. De muliere et bestia et quomodo Agnus vicerit eos, — et qui cum eo vocati sunt per crucem, dicti sunt fideles et electi . . . . . Pag. 194.
Capitulum 18. De fugiendo a Babylone et de luctu et de igne et fumo ejus ad literam . . . . . Pag. 202.
Capitulum 19. De laude Dei pro damnatione meretricis magnae et de destructione fornicationis et aeternis nuptiis Agni, et quomodo de exercitibus in equis residendis (recte residentibus) sint eorum imitatione adhuc exercitus in ecclesia scilicet fratrum Hospitalis et Templi et Domus theutonicae Sae. Mariae . . . . . Pag. 210.
Capitulum 20. De resurrectione prima et de mille annis, de Antichristo et Helia et Enoch et de Gog et Magog et de judicio . . . . . Pag. 235.
Capitulum 21. De ultima civitate, quae habet in fundamentis nomina 12 apostolorum, in quibus nominantur a praedicatoribus Fratres minores, ut sit secundum Salomonem civitas firma, et quomodo gentes ambulant in limine ejus . . . . . Pag. 262.
Capitulum 22. Quomodo pro modica paupertate cum Deo regnabunt in saecula saeculorum, et quomodo nocentes noceant, et quomodo sancti sanctificentur, et quomodo Dominus veniet ad reddendum unicuique secundum opera sua et per observationem libri pacificatio angelorum consequatur . Pag. 288.

Expliciunt capitula.

Ex officina typographica Cyrillo-Methodiana Pragae.

Incipiunt capitula ca. primi ·
De beatitudine observantium librum et
de adventu iudicis .2. De an-
gelo et epo ephesi ecce et de policarpo smir-
neorum epo 3 De sardensi epo 4
De gloria regum david et de regno
ihu xi filii eius secundum carnem 5 De 4or
scriptoribus eius et 4or scriptoribus ihu xi filii
eius designatis per animalia 6 De agno
et corpore xpi qui aperit librum ipsius et de
spiritu sancto qui procedit ab ipso filio dei in
modum oculorum et cornuum. In euangelio
namque dicit eis iohes pacem a patre. Quod
ille qui sedet in equo albo exierit vincens
eos qui deum persecuti fuerunt, et quod Nero
interfecit petrum et paulum, et de persecu-
tione domiciani, qui ista vidit iohes,
et de innumeris martiribus .7.
De ostensione et huius signi dei vivi,
et pace facta ecce ut possent fideles p-
vivere deo die ac nocte in templo eius.
.8. De angelo dni extraneo qui
dedit de orationibus omnium sanctorum super al-
tare, hoc est per psalmum qui fit de orationibus
omnium sanctorum dicentium et dimissis eatis et
qui incensum ascendunt ante deum. De mul-
tis hereticis qui impugnant ecclesiam, ipsi eos
ipse viderit iohes 9 Quod an-
geli exterminans nove exterminavit
300. epos et quod illi qui adoraverunt
demonia et similia, in quasi ad deum
orant cotidie pro omnibus fidelibus 10 Qualiter
signata sit vox tonitruorum usque ad
tempus angeli et devoraverit librum ipsum
manu 11 De mensura altaris et
templi et adorantium in eo hominis celeb-
rates dedicationum ecclesiarum et quod vomens
exiens de ore duorum testium interfecit
hereticorum interfecit. 12 De templi
apertione purificationis sancte marie, et festis
dicatis sancti michaelis, et de auxilio sancti
michaelis archangeli. 13 De
plaga gladii bestie, et de exaltatione
sancte crucis. 14 De macho-
meto bestia qui dixit se interpretari
vetus et novum testamentum, ipsa sarrace-
ni recipiunt multos libros nostros, et de
falsis signis que ei ascribuntur. De monte
syon et virginibus et de regularibus
sancti augustini et de ordine sancti benedicti
et quod regnum francorum auro sapientie sit
coronatum. 15. De angelis fun-
dentibus phialas, et quod dns vindicat
sanguinem sanctorum 16. De regibus
congregatis in prelium. De beatitudine illorum
qui custodiunt vestimenta sua, et de dotibus
eorum qui per eam perducuntur fideles.
.17. De muliere et bestia,
et quod agnus vicit eos et qui cum eo vo-
cati sunt per crucem, sunt fideles et electi
.18. De fugiendo a babylone
et de luctu et de igne et fumo eius

narum 19 De laude dei pro
destructione meretricis magne, et de
structione fornicationis et eternis nup-
tiis agni, et quod de exercitibus in equis
residentibus per eorum ministerium adhuc
certatur in ecclesia, scilicet fratrum hospitalis et
templi et domus theutonice sancte marie.

20 De ratione prima, et de mi-
lle annis. De antichristo et helya et enoch,
et de gog et magog et de iudicio

21 De ultima civitate que
est in fundamentis nova 12. apostolorum
in quibus innuantur a predicatoribus fratres mi-
nores, ut sicut per salomonem civitas
firma, et quod gentes ambulant in lumine
eius 22 Quod pro modica paupertate
te cum deo regnabunt in sola glorie,
et quod noctes nocuit, et quod sitientes
ficantur, et quod dominus veniet ad redden-
dum unicuique secundum opera sua, et per observa-
tionem libri purificatio angelorum [illegible]
tur. explicunt capitula.

Nota quod in meis sensu per [illegible] pos graphos [illegible]
signavimus crystalis vero zelum per colores
alterius [illegible] pographos declaramus.

Iohannes apostolus et evangelista quod ipse liber
dei qui predicabat, missus est in exilium
a domiciano cesare in pathmos
insula, ubi hanc apocalipsim vidit audivit
et scripsit. Qui inter reliquos novi testamenti
libros prophetia vocatur. Nam et excellentiori
cunctis prophetis loquitur. Qualis enim concor-
dia est inter legem et evangelium, talis est
concordia huius libri cum voluminibus cunct-
orum prophetarum. Unde dominus dicit. Non veni sol-
vere legem aut prophetas, sed implere. Eze-
chiel. quod alia vidit. sic quod alia vi-
dit iohannes etc. Sicut zacharie ostensi sunt
equi rufi, nigri, albi, ac varii, ita
ostensi sunt iohanni equus scilicet albus, niger, rufus,
pallidus. Et sic in multis ipsi concordant prophete,
ut ostendatur unus deus novi veterisque testa-
menti etc. Non corporalibus oculis ipse iohannes vidit
sed ymagines mente intuendo et in eis veritatem
intelligendo. Sed quod hominibus narrare dicitur liber
in apocalipsi a. sigillis signatus ostenditur quem
si dederis homini scienti litteras ut legat,
respondebit tibi, non possum, signatus est enim. Quanti
hodie se putant nosse litteras, tenent sig-
natum librum, nec aperire valent, nisi ille re-
seraverit qui habet clavem david, qui aperit et ne-
mo claudit, claudit et nemo aperit. Ce-
terum. Apocalipsis iohannis tot habet sacramenta
quot verba. parum dixi pro merito volu-
minis laus omnis inferior est. In verbis

singula multiplices latere sententie. Cum
recenti nostra compareret memoria gesta esse,
si forte eius uestigia prophetata fuissent, quesiuimus
in uerbis huius libri eorum concordiam, cuius
materiam exstitisse prophetis et gentibus diuer-
sis et regibus multis esse non reperimus.
Nouerit uero dominus dominicus, cum nos prout
potuimus speculassemus ad inueniendum, quedam
nobis apparuerunt obscura. Cum autem circa
hec noster fluctuaret intellectus, festiue
die tanta ad corpus domini nostri Ihesu Christi festi-
uitatis conuocaremur, sicut quod agno in celo, neque
in terra, neque subtus terram quisquam librum aperire ua-
lebat, nisi ipse nos tamen instrueret, quod eodem
die preter libri maximam intelligentiam imple-
tum per ordinem hystoriarum ac aliarum prophetia
nos docuit. Quid uero intelligentie continet
liber, inter cetera que longum esset enarrare
est dicere sex angelos [illegible] esse eorum, ac
beatos qui [illegible] continuant. Qui fidem adhi-
bere uoluit, quod agnus sua gratia indigno
layco ~~[illegible]~~ reuelare dignatus sit, gra-
tias agat deo et agno. Ceteri audire
non uolentes quod nos tam impletum dicamus,
quius non appareat per superficiem littere huius
libri signati, quemadmodum iudei credere
recusantes quod messias, id est dominus noster Ihesus
Christus uenerit, cum per superficiem prophetie adhuc
non habitet leo cum agno, pardus cum
hedo, uideant si aliquid gaudeat eos

ex uelis et tenebris per abstrusas. Deinde
quod iam repetentes et nunquam ad ordinem
repletorum capitulorum libri peruenientes
id est usque ad i[illegible] quod ipse tetigit de die induc-
tum. Dicit uos accipimus de agno, qui est
rex regum et dominus dominantium, attendimus
allemare siue allemare tenebras et
obscuritate. Id est signaculorum cetera huius
uoluminis uerba, que sub mysterio latent,
quemadmodum ipse agnus sub mysterio gra-
neretur, qui habet claues potentie ac scientie dauid
patris sui per carnem, allemans tenebris mi-
steriorum nam nomine expositionis. De cla-
ue potestatis dicitur ad Petrum: Tibi inquit
dabo claues regni celorum. De claue
uero scientie dicit scribis et phariseis: Ue
uobis legisperitis qui tulistis clauem scientie.
Ut manifestum sit agnum id est Christum dominum
habere potestatem scientiam regnumque dauid patris
sui. Describuntur per scientiam sua sub regno
ipsius 24or seniores sic sub regno dauid fue-
runt 24or principes scientiarum per ordina-
tionem scientiamque dauid describuntur ex sub
regno eius et bis centum 24or milia
per xii in quolibet .12. mensium anni dauid et Sa-
lomonis .24or milia fuerunt, hoc erit
simul octo milia et octoginta milia, et
ducenta milia, sic bis centum 88 milia
in simul computata, equaliter eodem modo per omnia
inueniuntur. Unus autem iste cum senioribus

sub regno domini nostri ihesu christi qui est et
dux ducum, in cedentibus superhumerale complu-
rimum, quia eius imperium multiplicatum est. Per
ysaiam dicentem: multiplicabitur eius imperium
et regni eius non erit finis. Sed Iohannes vi-
dit .vii. stellas in dextera illius qui apparuit
in similitudine filii hominis, in quo loco tamen ob-
scurior latet hystoria, ut se comperiat cuius
in quarto loco sive hostio repperit. Primo namque
loco stella ponitur. In secundo namque loco sive
hostio in angelis devolvitur, secundum id: stellas quas
vidisti angeli sunt. In tertio hostio aliquis
homo reperitur, per angelum Smyrne ecclesie
dicitur: Esto fidelis usque ad mortem, cum angelus
simpliciter mori nequeat. In quarto etiam
loco sive hostio Policarpus episcopus ponitur,
qui secundum ecclesiasticam hystoriam ab apostolis fuit
ordinatus Smyrne ecclesie episcopus, qui post Iohannem
diu vixit. Non certum quod vitas sanctorum per ordinem
[illegible] tenendum, quia in primo loco non apparet, sed in
quarto, concedendum omnino quod tenenda sunt. Concordans
cum vitas hystorie in tanta prudencia lateat di-
ffusissime [illegible] ad litteram, unde certa quia
duo testes amicti saccis habent potestatem
claudendi celum ne pluat diebus prophetie
eorum, aquasque in sanguinem convertendi, ac quod contra
dantur. De ipsis testibus scriptum est, quod ignis
exiet de ore ipsorum devorabit inimicos
eorum, et si quis eos voluerit nocere, sic eum oportet
occidi. Si autem inimicos eorum spiritualiter

occisuros fore possibile est, ipsi intelligi esse spiritu-
aliter occidendos. Si autem de materiali igne
de ore eorum exituro qui ad litteram devorabit
occidentque inimicos eorum, necessarium esse credo
credendum quod ipsi corporaliter permanent. Sed ipsi sta-
tim celum ascensuri referuntur, iudeique
eternum futurum [illegible] videlicet quod per tres et dimidium Iohannes
refert, quasi dicat se vidisse operantes in mansione
super [illegible] domini post dicte iudeorum [illegible]
sit, in quo nemo valeat operari. Sed et prophetas
[illegible] regnare mille annis cum Christo, antequam sol-
vatur Sathanas de carcere suo. Hec si scripta
repperimus plurimum de magno anno, cum secundum
Iohannem, mille annis [illegible] finitur et sunt, quo
libro de prophetis et gentibus et linguis et regibus
multos exponemus. Sed quibus secundum anglicum
ista prophetia apertissime esse nosscuntur. Apocalipsis
namque pervadit. Hoc sermonem intelliges per
omnes propheticas scripturas sua inspiratione non
fit. Non est voluntate humana allata est
aliquando prophetia et cetera. De hiis duobus testibus
plura manifestius narrabimus. Ne a celis
minus videantur differre, ponimus aliam
exponemus, quod nostrum loquitur de futuris,
ac tamen ista scriptura referuntur esse impleta in ...
per eam prophetatur volumen. Agultra namque post
post in diebus magni [illegible] aliisque temporibus
que iam facta sunt, per Salomonem dicentem:
Quid est quod fuit ipsum quod futurum est.
Quid est quod factum est ipsum quod faciendum est. [alii Beati]

hoc emendatores libri non apponant, maxime cum de
ante domini nostri Ihesu Christi apostolus certificet.
Alia expositio quod nos et intellectum verum sic capiunt.
Apocalypsis.

Apocalypsis grece, latine dicitur revelatio, cum dicit apocalypsis, simpliciter dicendum est. Et iste modus locutionis cum diminutive ubi frequenter invenitur in divinis scripturis. Nam Salomon ait in titulo ubi parabole Salomonis. Ihesu Christi, a patre data Christo secundum humanitatem. Ipse et accepit eam a divinitate ubi quam eam accepit, sicut ac si ita commonet attendite hanc visionem quia visio revelata est in Christo Ihesu. Materia status ecclesie, totiusque primitive ecclesie. Qualitas tribulationes multas et extremas continet consolationes. Locus brevis, labor, eterna premia, intentio pacientes omnia facere. Preparat auditores benivolos et attentos sic ibi: Iohannes septem ecclesiis que sunt in Asia. Gratia vobis et pax. Quam dedit illi, ut manifestaret servis suis, id est palam faceret, id est ad palam faceret verbis et exemplo. Servis suis, non iudeis, non phariseis, de his que oportet fieri cito. Ad breve tempus venturarum, ut nolle, ut paterentur tribulationes. Et significavit, vel significavit Deus filio, filius Iohanni sub sigillo, ne vel se fuerit pertendi, et gratius sit fidelibus sic exercitio et studio consequitur. Per signa ostendit mittens per angelum suum personam Christi humanitatem,

qui testatur ubi ipsius Christi servo suo Iohanni, non simplex, verbum qui testimonium perhibuit humanitatis, id est verbo, id est de divinitate quam de humanitate, ubi dei filius vocatur verbum, quia per eum mundus testatur et significatur, et in mundo patris, et testimonium Ihesu Christi quecumque vidit, id est hys corporalibus, ut passum, vel palam vite, ut fuisse cum patre ante omnia.

Beatus qui legit, qui dedit nobis hanc curam, quia a me accepit, qui legit, ut littera vel clerici, et qui audiunt, ut laycus, vel audiunt, quia plures possunt uno legente possunt audire. Iste ad loquitur ad dicentes ex super dictum est de layco colligitur esse hos nullius scientie ordinis, nullaque liberali arte instructus. Verba prophetie huius et servant ea que in ea scripta sunt. Servat qui fide Christi et ecclesie non violat et timet in eam minata, et quod servit promissa. Tempus enim prope est, verbis quia non longa mora laboris quia premia remunerationes. Iohannes septem ecclesiis que sunt in Asia. Iohannes principaliter dedit illis quibus magis erat consultus, per simile aliis, vel per septem universe ecclesie, quia septenarius universitatem designat, vel quia septiformi spiritu illustratur. Ephesus fuit metropolitana sedes, in qua Iohannes presedit. Gratia vobis, id est remissio peccatorum, et pax, id est quies a viciis ab eo, id est a Deo, qui est olim, ut incorruptibilis, iam immutabilis, per humanitatem, et qui erit eternaliter

spiritus natus. et qui venturus est talis venturus est. et si modo non appareat talis. et a septem spiritibus, id est a septiformi spiritu qui in conspectu throni eius sunt illuminans eos in quibus sedet dominus, scilicet angelos, et sanctos homines in quibus nunc sedet et iudicat, nec in futuro iudicabit. Nam anima iusti sedes est sapientie. Introducit sanctus Iohannes aliorum sicut hystoriam ubi videtur expedire. Spiritus idem sonat quod caritas, unde attribuitur spiritui remissio peccatorum et alia dona totius trinitatis, ut intelligamus trinitatem ex sola dilectione operari. Et a Ihesu Christo qui est testis fidelis primogenitus mortuorum. Commendat Christum filium qui hanc revelationem per angelum suum fecit Iohanni, quasi dicat: credite huic revelationi quam Christus manifestavit qui pro nobis passus est et resurrexit. Personam patris tacet quia nemo de deo creatore male intellexerat. Posuit personam et spiritus sancti, de quibus nascimur in ecclesia heretici. scilicet Rex, et primo mortuorum dicitur regnatio, scilicet dominus, qui regnat in eo cum sedet filius hominis in sede maiestatis sue. Et est hinc quod primus resurrexit dominus noster Ihesus Christus, apostolus non mortuus, et per ipsum alii sunt resurgere. Si ipse non resurrexisset omnes tenerentur vinculis mortis. Ihesu Christo dicit qui se esse deum non per innocentem mortem negavit quod nos non crearet, surrexit et est impassibilis. Vel primus sed martiris cantium, quia peccatum non fecit, vel testis operum

morum in die iudicii, quando dicet: Vidistis me esurientem et sitientem, et venite benedicti patris mei percipite regnum. Et princeps regum terre ad litteram, vel regum terrarum regentium terrenitatem, princeps terrenarum potestatum potens eas removere et ad utilitatem suorum permittens ipsos servire.

Qui dilexit nos et lavit nos, id est sola dilectione nos lavit a peccatis originalibus vel actualibus nostris, non suis sed nostris, quia non peccavit, in sanguine suo, non vituli non arietis sicut in veteri lege. Et fecit nos regnum et sacerdotes, id est potentes vitiis resistere et pro nobis et pro fratribus nostris metipsos creatori offerentes, et patri suo benivolo. Et ipsi gloria quantum ad se, et imperium quantum ad alios in secula seculorum amen.

Ecce venit cum nubibus, id est cum sanctis quos apostolus designat per nubem dicens: Ideoque et nos tantam habentes impositam nubem testium. Unde prophetarum loquitur quasi qui presentia videbat futura: Ut ecce virgo concipiet et pariet filium. Unde debetis eum evangelizare et laudare, quia ipse est qui venturus est ad remunerandum cum nubibus, id est cum sanctis qui nubes fuerunt contemplacionibus aliis et miraculis faciendis. Vel sicut in nube ascendit, in nube veniet. Per quam intelligimus dei clementiam que bonis est refrigerium et illuminacio, malis terror et excecatio, quod significatum est per nubem que eduxit filios Israel de Egypto, quibus fuit illuminato

pharaonem excecato et terror. Ita in die
iudicii videbunt deum bonis illuminato et
malis excecato et terror. Et videbit
eum omnis oculus tam boni quam mali. boni
ut letentur mali ut confundantur. videbunt,
alia translatio. videbit eum omnis terra talis,
i. d. tales videbunt qualis ipsi venturi
non credebant et qui eum pupugerunt ut py-
